

‘Ad vos deinde transeo quorum profunda et insatiabilis **22**
 gula hinc maria scrutatur, hinc terras, alia hamis, alia laqueis,
 alia retium variis generibus cum magno labore persequitur:
 nullis animalibus nisi ex fastidio pax est. Quantulum [est] ex
 5 istis epulis [quae] per tot comparatis manus fesso voluptatibus
 ore libatis? quantulum ex ista fera periculose capta dominus
 crudus ac nauseans gustat? quantulum ex tot conchyliis tam
 longe advectis per istum stomachum inexplebilem labitur?
 Infelices, ecquid intellegitis maiorem vos famem habere
 10 quam ventrem?’

Haec aliis dic, ut dum dicis audias ipse, scribe, ut dum **23**
 scribis legas, omnia ad mores et ad sedandam rabiem adfe-
 ctuum referens. Stude, non ut plus aliquid scias, sed ut melius.
 Vale.

15 **90** SENECA LVCILIO SVO SALVTEM

Quis dubitare, mi Lucili, potest quin deorum immortalium **1**
 munus sit quod vivimus, philosophiae quod bene vivimus?
 Itaque tanto plus huic nos debere quam dis quanto maius
 beneficium est bona vita quam vita pro certo haberetur, nisi
 20 ipsam philosophiam di tribuissent; cuius scientiam nulli
 dederunt, facultatem omnibus. Nam si hanc quoque bonum **2**
 vulgare fecissent et prudentes nasceremur, sapientia quod in
 se optimum habet perdidisset, inter fortuita non esse. Nunc
 enim hoc in illa pretiosum atque magnificentum est, quod non
 25 obvenit, quod illam sibi quisque debet, quod non ab alio
 petitur. Quid haberes quod in philosophia suspiceres si bene-